

Heinrich Rahn    Johann Wegener

## **Disputatio Inauguralis De Appellationibus**

Rostochii: Kilius, 1661

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735210098>**

Druck    Freier  Zugang



Berufung = Einstands

RU für 1661.

Hinnich Rahne, Preis  
Johann Wegener, Resp.



83

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
APPELLA-  
TIONIBUS,

Quam  
D. T. O. M. Auxiliante,  
Decreto & autoritate Magnifici &  
Amplissimi Senatus Juridici in Alma Ro-  
stochiensium Academia,

SUB PRÆSIDIO  
Amplissimi ac Consultissimi Viri  
Dn. HENRICI Rabnen / J. D.  
ac Professoris, nec non p. t. DECANI  
spectabilis,

Pro summis in utroq; jure honoribus, ac Privilegiis  
Doctoralibus consequendis,

Publico Doctorum examini submitter.

Ad diem 17. Junij loco consueto, horis ante  
& pomeridianis. *Hegamer*

JOHANN. WEGENER / Rostoch.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO MDC, LXI.

1661

INSTITUTIO IN AGRICULTURA  
DE

# APPELLA TIONIBUS.

Decretis & annotationibus Magnifici &  
Applimentarii Almaro.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

DAVID HENRICI REGNI A. D.

Professoris nec non p. d. d. e. r. i.

Professuris in iure honoribus ac Privilegiis

et omnibus honoribus ac Privilegiis

et omnibus honoribus ac Privilegiis

JOHANNI REGNI A. D.

R. O. S. T. O. C. K. I. A. E.

et omnibus honoribus ac Privilegiis

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE APPELLATIONIBUS.

THESIS. I.



Ritum est, secundum logicos, quod nihil definiri, vel dividi debeat, antequam homonymia sit sublata.

Prima itaq; erit cura vocabulum appellationis paucis explicare, ut quid velim, pateat.

2. Appellare i. significat vocare, seu nominare  
*l. 1. §. 1. ff. de J. & J. §. 1. Inst. d. testam. ord. 2. blandâ*

oratione virginis pudicitiam attentare, *l. 15. §. 15. 20. & 22. ff. de injur.*

3. de solutione debitorem interpellare *l. 16. §. 6. ff. de fidejuss. & mand.*

4. Magistratum agendi causâ adire *l. 1. §. 3. ff. ex quib. caus. maj.* aliquando, & prout hic usurpamus, idem est quod super iniquitatem inferioris magistratus, superioris auxilium implorare, *t. t. ff. & C. de appell. cujus synonymicum vocabulum est provocare l. 1. ff. h. t. l. 2. C. eod. l. 40. §. 1. ff. t. p. act.*

3. Hinc definitur appellatio, quod sit ab inferioris judicis iniqua sententia ad superiorem gradatim, legitimeq; facta provocatio, ut is eam corrigat, & in meliùs reformet.

4. Dividitur appellatio in judicialem, & extrajudicialem, quarum illa à sententijs & interlocutionibus *l. 2. & 24 C. h. t. l. 2. ff. de app. recip.* hæc à decretis, & actibus extra judicium, & ordinarium processum interponitur, *l. 3. C. d. Excus. tut. l. 1. §. 3. ff. quand. appel. c. concertationi. §. de Appel. in 6to. Gail. 1. Obs. 120. n. 1. & seqq.*

5. Origine appellatio est vetustissima, id quod non tantùm ex historijs Romanorum, verùm etiam ex sacris literis apparet; sic in actis apostolorum dilucidum habemus exemplum appellationis apostoli Pauli, *Act. 25. v. 10. & 12.* ubi ille veritus, ne à Judæis ijsq; gratificante Portio Festo opprimeretur ad Cæsarem provocavit.

6. Multi ab ipso jure naturæ appellationem profectam dicunt, quod tamen, si jus naturæ in specie sumptum intelligant, vix defendi potest.

7. Et licet statuto judicium inferiorum, vel consuetudine tolli eam non

A

posse,

Defo

posse, cum tangeret hoc jus & præminentiam superioris, cui ab inferiori derogari absurdum est, cum *Myns. 1. obs. 14. Gail. 1. obs. 72. n. 3. & obs. 135. n. 12. Wurms. 1. part. 24. obs. 29.* sentiamus, lege tamen id fieri & constitutione supremi principis posse, arbitramur: aliàs, privilegia principibus, alijsq; Statibus imperij concessa, quibus appellatio vel limitatur, vel planè inhibetur, injuriam saperent.

8. Appellandi facultas regulariter omnibus est concessa, qui non prohibentur, qui vel per iniquam magistratus sententiam se gravatos existimant, vel quorum interest sententiam rescindi, licet nomine tenus in sententià comprehensi non sint *l. 30. C. h. t. l. 1. l. 4. §. 3. l. 1. pr. & §. 1. ff. cod. l. 1. ff. de app. recip.*

9. Tam in communi, quam propria causa, & si plures unâ sententià condemnati sunt, unus ex consortibus appellare potest, & tunc appellatio ac emolumentum victoriæ unius spectat etiam ad reliquos, qui non appellarunt, *l. 1. & 2. C. si unus ex plur. c. una sententia. 72. Extr. b. t. dummodo una omnium causa sit defensionis, idemq; negotium. l. 1. & 10. §. 4. ff. b. t. d. c. 72.*

10. Non solum ipsi principales, sed etiam alij eorum nomine appellant, ut tutores, & curatores *l. 17. 24. & 27. ff. b. t. l. 1. §. 13. ff. quand. appel. l. unic. §. 1. ff. si pend. app.* qui, si in pupilli bona causa non appellaverint, sive post appellationem provocationis solemnia implere cessaverint, tutelæ judicio indemnitatem pupillo præstare tenentur *l. 11. C. de administ. tut.*

11. Procurator etiam non solum potest *l. 18. ff. d. app. l. 9. & 10. C. eod. l. 2. C. de procur.* sed etiam tenetur appellare *l. 17. C. de procur.* nisi tantum ad unicum actum sit constitutus, *arg. l. 5. pr. ff. mand. l. 10. C. d. procur. Gail. 1. Obs. 139. n. 11.* vel domino justo tempore denunciaverit, ut ad appellationis beneficium convolaret. *cap. non iniuste. 14. x. de procurat.*

12. An autem, ut interponere appellationem, ita profequi teneatur procurator, generaliter ad totam causam datus, quæritur? De Jure Canon. negativa obtinet, *c. penul. in fin. Extr. de procurat.* Dd. tamen solent distinguere inter sententiam interlocutoriam, & definitivam: si ab illa appellaverit procurator, ad prosecutionem appellationis ipsum teneri statuunt, si ab hac, minimè *Gail. 1. Obsery. 139. n. 12.*

Ex jure civili probabiliter defendi posse videtur, ejusmodi procuratorem indistinctè teneri ad prosecutionem appellationis. Negotiorum gestores etiam pro alio appellare possunt, modo quod gestum, mox ratum, habeatur *l. 1. pr. ff. de app. recip. l. 24. ff. h. t.*

13. Nec non maritus pro uxore in bonis receptitijs, citra mandatum, cum cautione tamen de rato, agendi & appellandi liberam habet facultatem *l. 12. C. de procur. Geil. 1. obs. 133. n. 6. & 7.* in bonis verò dotalitijs & paraphernalibus, super quibus mulier agere non potest, *l. 9. C. de R. V. non tantum sine speciali mandato, sed etiam sine cautione de rato rectè appellat, l. ult. C. d. pact. conv. Geil. dict. loc. Myns. 3. Obs. 13.*

14. Contrà uxor pro marito nec agere, nec appellare potest, *l. 4. C. de Proc.* alienam enim suscipere defensionem virile est officium, & ultra muliebrem sexum. *l. 18. C. de procur.* nisi pro libertate mariti, *l. 3. §. 2. ff. de liber. caus.* & sic etiam pro liberando marito captivo, pro ut in Camera Imperiali conclusum, cum carcer sit species servitutis *Geil. 1. Obs. 133. n. 8. & seqq.* Mater etiam pro filio ex pietatis officio ad appellationem admittitur, *l. 1. §. 1. ff. de app. recip. c. non solent. 2. quest. 6.*

15. Pro subditis Dominus, si ipsius inter sit, & factum subditorum, eum tangat, appellare potest, *arg. l. 15. §. 34. & seq. ff. de injur. l. 18. ff. h. t. l. 11. ff. de publ. jud.* ut, si quis à subditis collectas indebitè exigat, vel eos in colendis agris turbet, ipsisq; in contumeliam dominorum injuriam inferat, *Geil. 1. Obs. 125. n. 3. & obs. 126. n. 1. & 2.*

16. Imò humanitatis consideratione quilibet provocationem suscipere potest pro eo, qui ad ultimum supplicium damnatus est, *l. 6. ff. h. t. l. 29. C. eod.* ut ibi diligentius examinetur, ubi contra hominis salutem per errorem, vel gratiam cognitoris oppressa putatur esse justitia *d. l. 29.*

17. Appellare prohibentur servi, *l. 15. ff. h. t.* exceptio est in ipsa lege. Deinde ob delictum evidenter noti, *c. pervenit. 13. & consuluit. 14. ext. h. t.* quosq; damnatos statim puniri publicè interest, *l. 16. ff. h. t. l. 6. §. 9. ff. de injust. rupt. & c.*

18. Nullus homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemq; eorum, qui manifestam violentiam commiserunt, ar-



gumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propriâ scelus con-  
fessus appellans audiatur, ajunt Impp. l. 2. C. quor. app. non recip. Sic nec  
monetæ adulteratores, l. 1. in pr. C. de fal. mon. nec hæreseos con-  
demnati, c. ut inquisitioni 18. de Heret. in 6. nec raptores faminarum  
l. un. in fin. prin. C. de rapt. virg. ad appellationem admittuntur.

19. Nulla etiam appellationis licentia est ijs, qui manifestè contu-  
maciter abesse noscuntur, l. 73. §. fin ff. de judic. l. 23. §. ult. ff. h. t. l. 1.  
C. quor. app. non reci. uti nec ex eremodicio condemnatis, l. 13. §. 3. &  
4. C. de judic. hoc est, qui ob litem desertam condemnati sunt, Govean. 1.  
lect. Jur. 39.

20. An appellatio damnato majestatis reo permittatur: quær? Ne-  
gamus cum Marant. part. 6. n. 297. b. t. Rauch. l. 2. quest. 8.

21. Etsi etiam de jure civili in unâ eademq; causâ trino judicio su-  
peratus appellare amplius non possit, l. unic. C. ne lice. in una causa. c.  
sua causa 65. Ext. de app. in Camerâ Imperiali tamen tertia, & quarta re-  
cipitur appellatio, nec exceptio trium conformium sententiarum ob-  
jecta contra appellationem attenditur, eò quod aliàs inferiores judices,  
plures instantias faciendo, supremi tribunalis jurisdictionem illudere  
possent. Myns. 1. obs. 15. Geil. 1. obs. 72. n. 3.

22. Sunt, qui se ipsos ab appellationis auxilio excludunt, cum  
vel scripturâ interveniente paciscuntur, ut non liceat ad auxilium pro-  
vocationis pervenire, legum enim austeritas in hoc casu pactis litigan-  
tium mutatur, l. ult. §. ult. C. de temp. & repar. app. Ord. Cam. part. 1.  
tit. 28. §. Und wie wol vers. es were dann. vel etiam ante sententiam  
professi sunt, se à judice non provocaturos, l. 1. §. 3. ff. à quib. app. non lic.

23. An verò, si quis promittat se staturum sententiæ hoc ipso appel-  
lationes renuntiatio inducta sit? controversum est. Nobis arridet af-  
firmativa.

24. Visis personis, qui possint, vel non possint appellare, sequun-  
tur judices à quibus, & ad quos possit appellari.

25. Appellare licet regulariter ab omnibus judicibus, tam ordina-  
rijs, l. 21. C. h. t. Can. omni. 4. & Can. seq. caus. 2. q. 6. quam delegatis  
l. 19. & 29. C. h. t. l. ult. C. de jud. l. 13. C. de ped. jud. l. 9. ff. qui satid. cog.  
nisi vel ob eminentiam, vel speciale privilegium appellatio sit remota.

26. Primò, à principe superiorem non recognoscente appellare  
fas non esse, stultum est admonere, cum ipse sit qui provocatur, l. 1. §. 1.

f. à

*ff. à quib. app. non lis.* talis est Imperator Romanus. Idem obtinet in alijs Regibus, Principibus, & Rebus pub. superiorem non recognoscentibus. Quamvis non desint Pontificij affectatores, qui ab omni rege, adeoque Imperatore ipso Papam appellari posse falso contendunt, quibus ex parte ablanditur *Petr. Greg. Thol. l. 3. cap. 8. & 9.*

27. Sic à prisca Romanorum Regibus nullam provocationem fuisse tuemur cum *Obrech. c. 6. n. usq; 9. de jurid.* neq; etiam à senatu Romano *l. 1. §. 2. ff. à quib. app. non lic.* ut nec à præfecto prætorio *l. 17. ff. de Minor. l. 1. §. 1. ff. de offic. præf. præf. l. 19. l. 30. & 35. C. h. t.*

28. Ab Imperatore etiam ad Electorem Palatinum provocandum esse negamus, contra authorem *der Donawerschen Relation / part. 2. pag. 112.* Item, nec ab Imperatore ad imperium, seu Status Imperij, vel Cameram Imperialem appellari posse statuimus.

29. An autem ab Imperatore malè informato ad melius informandum appellatio admittatur? controvertitur, Affirmativam sententiam, ut absurdam, rejicit *Gail. 1. Obs. 155. n. 7.* Tolerari tamen eam posse putamus cum *Cotb. vol. 4. Resp. 4. in pr.* si ejusmodi appellatio vocetur irregularis, & extraordinaria; & magis imploratio seu querela, quam appellatio, *Cot. d. Resp. n. 49.*

30. A Camera Imperiali non appellari certum est, ne autem de hoc summo judicio quisquam jure conqueri possit, sibi ad causam justitiæ demonstrandam viam non patere, saluberrimum revisionis remedium introductum est, *Ord. Cam. part. 3. cap. 53. Geil. 1. Obs. 153. n. 1.*

31. Ob Privilegium jus non appellandi competit septemviris Imperij. *ex A. B. tit. 11. von der Chursürsten Freyheit. Heig. part. 1. quest. 4. n. 30. & seqq.* Quod tamen jus Ecclesiastici Electores, & Palatinus non utendo amiserunt, *Heig. d. loc.* solus Elector Saxonix & Brandenburgicus sartum tectumq; retinuerunt. Inprimis Electori Saxonix hoc jus per subsequentes Imperatores, & novissimè à Ferdinando I. Anno 1559. atque Rudolph. II. Anno 1586. confirmatum & auctum est, ut non tantum ab ipso Electore, sed etiam Ducibus, & universà domo Saxonix appellare non liceat, *Heig. d. l. n. 41. & seqq. Berl. part. 1. concl. 35. n. 24.*

32. Eodem Privilegio exemptionis in causis appellationum ex judicio Camerae gaudent Archiduces Austriæ, Duces Lotharingiæ, & Dominus Burgundica, quæ cum suis ducatibus, etiam in causa fractæ pacis tali privilegio munita, *Myns. obs. 58. n. 2. & seqq. Berlich. part. 1. concl. 35. n. 28.*

33. Habent præterea nonnulli Principes, & civitates Imperij privilegia de non appellando ab eorum sententijs intra certam pecuniæ summam. Sic à curiâ Principum Pomeraniæ appellare non licet ad Cameram, nisi causæ valor ascendat ad summam quingentorum aureorum Rhenanorum, vide *privil. de anno 1566.*

34. A principibus Megapolitanis appellatio interdicta est in causis non excedentibus sexcentos aureos Rhenanos, *Mechlenb. Land vnd Hoffg. Ord. part. 2. tit. 37. §. wie dann. ibi: vnd sich auff 600. f. Meinsch in Münze oder darunter belaußt/ keiner zur Appellation bemächziger seyn.* Sed hæc summa extensa est ad 1000. aureos per Ferd. II. sub dat. *Wien 23. Octob. Anno 1623.*

35. Civitatis Lubecensis summa appellabilis est, quæ excurrit 500. aureos *privileg. app. de anno 1588.* Aliorum Statuum & civitatum Imperij privilegia refert *Frid. Mind. de process. extrah. lib. 1. cap. ult.* Quando autem dubitatur, an summa ordinationi, vel privilegio conformis sit, stari debet juramento asserentis, malle se carere tantâ summâ, quàm ab interposita appellatione desistere, *Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. vnd sonderlich setzen. Myns. 4. obs. 40.*

36. Sufficiant hæc dixisse de iudice à quo, jam progredimur ad iudicem ad quem, ubi hæc regula occurrit, quod de jure civili appellatio gradatim ad proximè superiorem sit dirigenda, *l. 27. ff. h. r.*

37. Hæc tamen regula fallit illo casu, quo intermedium palàm, & perspicuè justitiæ denegaverit, *Nov. 17. c. 3. v. scito namq; Nov. 86. c. 1. ut & Ord. Cam. part. 2. tit. 29. in princ. ibi: Es were dann.* Vel sit inhabilis ratione suspicionis, excommunicationis, vel alterius inhabilitatis, vel etiam iudex esse nolit, & causam suâ sponte ad superiorem remittat, *O. C. d. loc. Geil. 1. Obs. 119. n. 2. & Myns. 1. obs. 67.*

38. Vel etiam conditio personarum faciat, ut rectè ad iudicem majorem procedere possit appellatio: sic studiosus à iudice inferiori ad supremum rectè appellat *auth. habita. C. ne filius pro pat.* Ita & pupillis, viduis, alijsq; fortunæ injuriâ miserabilibus personis concessum, omisso intermedio rectè ipsum Imperatorem provocare *l. unic. C. quand. imp. int. pup. & vid.*

39. Vel consuetudine aliter introductum sit. Consuetudo enim potest devolvere appellationem ad alium, quàm quo suo jure, cursuq; tenderet, *Myns. 1. Obs. 97. c. Romana. 3. §. debet. de app. in 6. Vult. de f. R.*

33. n. 19. Hinc nonnullæ civitates prætereunt curiâs dominorum, quibus homagio obstrictæ sunt, ut Hamburgum, Hervordia, Susatum  
*Thom. Mich. thes. 54. lit. c. de jurûd.*

40. Imò nonnullæ civitates non majorem judicem, sed parem appellant, cui nullâ ratione subjiuntur: sic hodiè à curia Rostochiensî non saltem ad aulam ducis Megapolensis, sed etiam ad senatum Lubecensem rectè appellant. Ita quoq; à Stralsundensî senatu, vel aulam Ducis Pomeraniæ, vel senatum Lubecensem appellare liberum est,  
*Stralsund. Erbvert. de anno 1615. art. 5.*

41. Sed cum istiusmodi civitates, ad quas illæ diriguntur appellationes, nec compulsoriales, nec inhibitiones adversus civitatem, à cujus sententia facta est appellatio, decernere, nec suam sententiâ exequi possint, *arg. l. 4. ff. de recep. arbit.* propriè appellationis nomen ipsis denegamus, & in vim magis consultationis, aut prorogata jurisdictionis fieri dicimus cum *ampl. Matth. Strepb. l. 2. part. 1. c. 7. n. 362. de jurûd. & Bocero c. 3. n. 76. de jurûd.*

42. Jam sequuntur causæ, à quibus appellare licet. Ut igitur regulariter à quovis iudice appellare licet, ita etiam à quavis causâ, & quovis gravamine, non modo civili, citra discrimen gravioris, vel levioris negotij *l. 20. C. h. t.* Sed jure Justiniano etiam in causa criminali *l. 6. C. 16. ff. h. t. l. 6. § 3. l. 12. l. 14. 26. & 30. C. eod. l. 6. C. de Episc. aud. l. 1. ff. an. per. ali. caus. Myns. 4. obs. 41. n. 1. Geil. 1. obs. 1. n. 28.*

43. In Camerâ autem imperiali causæ criminales, in quibus pœna corporis infligenda venit, per viam appellationis non recipiuntur, nisi de nullitate si, querela *Recess. Imp. de anno 1530. §. item als ehliche zeit herro Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. item nach dem auch.*

44. Idq; per inveteratam consuetudinem in Germania receptum, & postea L. Imperij confirmatum esse, testantur jam all. loca. Quam legem & consuetudinem extra Cameram ubivis locorum in Germ. vigere, & obtinere non admittunt *Corb. Resp. 14 n. 6 & seqq. aliquot, vol. 1. Wesenb. in π. de app. recip. n. 2. in fin. Bocer. de Jurûd. c. 3. n. 84.*

45. De jure Canonico generaliter ab omni interlocutoriâ appellatio est permessa *c. 12. Ext. h. t. c. 1. c. Romana, 3. §. quod si objiciatur. Eod. in 6to.*

46. De jure Civili à sententia definitiva tantum, non verò ab interloc-

terlocutoria appellatur l. 2. C. de Epif. aud. l. 16. C. de Jud. scilicet si post cognitionem totius causæ interposita appellatione vitia etiam interlocutionum corrigi possint l. 36. C. de app. cui assentit Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. fin. Mynf. 4. Obs. 48. n. 1. Geil. 1. Obs. 129.

47. Si autem vim definitivæ habeat, vel ejusmodi gravamen contineat, quod postmodum per appellationem à definitiva factam reparari nequeat, rectè ab ea appellatur l. 2. ff. de app. recip. Geil. 1. obs. 129. Mynf. 4. Obs. 43. Ord. Cam. part. 2. tit. 29. §. vnd so von Beyurtheilen. & seqq. & part. 3. tit. 31. §. vnd so ferner. De illis interlocutorijs, autem quæ vim definitivæ, vel damnum irreparabile contineant, videatur Mynf. 3. Obs. 88. Geil. 1. Obs. 130. n. 6.

48. Idem disponit Pomersche Hoffgerichts Ord. tit. von app. ibi. soll keine appellation von bejurteilen zugelassen werden/wo die Beschwerung in der Appellation im Endurteil repariret vnd erstattet werden kan / weren aber die Brtel also beschaffen / daß die Partheien sich der Beschwerung durch die appellation vom Endurteil nicht erholen können/so wird die appellation zugelassen,

49. Si quis autem appellet à tali interlocutoria, & Judex non admittat appellationem, tanquam ex frivolis causis interpositam, nisi tunc ab illa non admittance, seu denegatione appellationis interpositæ appelletur, appellatio censetur deserta, ita ut tale gravamen per appellationem à definitiva deinde reparari nequeat, Mynf. 2. Obs. 49.

50. Appellatio porro à sententia, quæ super momentanea possessione lata est, non admittitur l. unic. C. si de moment. poss. cum formam interlocutionis habeat, & injuria per eam facta possit in causa proprietatis citra appellationem emendari Wesenb. n. 8. h. t. Mynf. 4. obs. 13. n. 5.

51. An autem dispositio l. unic. in omni possessorio locum habeat? Quæstio est varijs disputationibus agitata. Plurimi affirmant, quorum sententia licet probabiliter defendi possit, aliter tamen judiciorum practica observat. Geil. 1. Obs. 7. n. 7.

52. Ab appellationis beneficio remouentur etiam causæ criminum manifestæ, ac notoriæ, c. cum sit Romana. s. in fin. & c. pervenit 13. X. h. t. n. 2. C. Quor. app. non recip. Item si quid perpetuo edicto decernatur l. fin. §. 1. ff. de app. recip. item quo minus pignus vendere liceat, appellari non potest d. l. fin. §. 2. similitè r si causâ per juramentum decidatur l. 12. §. 1. ff.

7. C. de reb. cred. nec non à sententia, giudice fortuna, per sortem latâ  
Besol. cap. 1. n. 1. de app.

53. Quoties fiscalis calculi satisfactio postulatur l. 4. & l. fin. C.  
quor. app. non. Et generaliter, quando res dilationem non recipit, appel-  
lare non permittitur: ut ne testamentum aperiatur, frumentum in u-  
sum militiæ in annonæ subsidia contrahatur, vel scriptus heres in pos-  
sessionem inducatur, l. ult. ff. de app. recip. l. 6. C. quor. app. non recip.

54. Num in causa alimentorum licita sit appellatio? Variant Doct.  
Nos appellationem concedendam existimamus, ita tamen, ut, si egeat  
petens alimenta, ei pendente appellatione necessariæ ex bonis rei de-  
cernantur, & præstentur *avg. l. 7. ff. de agn. lib. l. 9. ff. de jur. de lib. l. 27.*  
*§. 3. ff. de inoff. testam.*

55. Quod attinet causas extra judiciales, quæ in iudicio nondum  
agitatæ, in his, de jure Canonico, etiam generaliter appellare licet, *cum*  
*sit Romana. §. X. b. t. c. concertationi. 8. Eod. in 6to. Gail. 1. obs. 120. n. 2. &*  
*obs. 129.* hæc tamen appellatio potius est provocatio ad causam i. e. or-  
dinarium iudicium, *d. cap. 5. Geil. d. Obs. 120. n. 4.*

56. Jus civile autem admittit etiam appellationem in ijs quæ extra  
iudicium fiunt, si formam sententiæ judicialis habeant, *Wesemb. n. 3. b. t.*  
Veluti ab executione modum iudicationis excedente. *l. 5. C. quor. app.*  
*non recip. jun. l. 4. §. 1. de appell.*

57. A nominatione ad honorem, & munus publicum appellare  
permittitur, quiq; non appellant, scil. à nominatione iusta, munus il-  
lud subire tenentur, *l. 4. l. 7. l. 11. C. b. t. l. 1. C. de temp. app. l. 2. C. de*  
*decur. l. 4. C. si pend. app. mors l. 1. §. 2. quand. app.* A delatione verò  
tutelæ & curæ non provocari, *l. 1. §. 1. ff. quand. app. §. 16. Inst. de Exc.*  
*tut. sed tantùm ab excusationum propositarum, rejectarumq; senten-*  
*tiâ, defendemus per l. 3. & 11. C. §. 18. C. exc. tut. l. 13. pr. ff. Eod. l. 1. §. 1. ff.*  
*quand. app.*

58. Quod supra diximus extra discrimen gravioris, vel levioris ne-  
gotij posse appellari; hoc ab Imperatore, cui iniquū visū, ut super mini-  
mis causis maximi inquietentur iudices, & homines propter minimas  
causas magnis fatigentur iudicijs, communi consensu Statuum corre-  
ctum, ut hodie à nullo inferiorum iudicum tribunali infra summam  
300. florenorum ad Cameram appellari possit, *R. 7. de Anno 1600. §.*  
*wiewol nun auch vers. derowegen dannibi. sehen vnd ordenen wir.*

B

59. De

59. Dispiciendum nunc, quomodo, & intra quæ tempora appellan-  
dum sit. Prius videre est ex thesib. supra positis, nimirum de jure Civili  
regulariter gradatim ad proximè superiorem. Tempora autem appel-  
lationum quatuor distinguuntur, aliud interponendæ, aliud perendi  
apostolos, aliud introducendæ, aliud denique prosequendæ, *Wesenb.*  
*n. 2 ff. Quand. app.*

60. Fatalia interponendæ sunt, non biduum in propriâ causâ, ne-  
que triduum in alienâ, uti jure *ff. C. l. 6. §. ult. C. h. t. l. 1 §. 5 C. 11. ff.*  
*quand. app.* sed jure Nov. decem dies, *Nov. 23. c. 1. auth. hodie. C. h. t.* in-  
tra quos appellatio interponitur, aliàs sententia transit in rem judica-  
tam, & appellatio deserta est, etiã si pars adversa nihil opposuerit. Et  
hoc non tantùm ex jure Civili, sed etiã ex Ordinat. Cam. Imper. *part.*  
*2. tit. 29. §. 5.* So sollen auch die *Appellationes*, ut & Constitutione pro-  
vinciali Megapolensi *Mecklenb. Fürst: land vnd Hoffg. Ord. part. 2.*  
*tit. 37. §. 1. ibi.* nach verfließung der 10. Tage keiner zur *appellation* ge-  
statter werden.

61. Vivâ voce interponitur appellatio apud acta in continenti, ju-  
dice adhuc pro tribunali sedente, antequam loco judicij egrediatur,  
etiã uno verbo: appello, *l. 2. ff. h. t. l. 5. §. ult. eod. Wesenb. n. 9. h. t.*  
ubi curandum, ut hoc actis inseratur. *Berl. concl. 35. n. 92. part. 1. Mynf.*  
*3. Obs. 15. n. 2.* Valere tamen consuetudinem, quod à definitiva ex inter-  
vallo vivâ voce appellari possit, asserit *Gail. 1. Obs. 130. n. 4.*

62. In scriptis appellari solet non statim apud acta, sed cum Judex  
à tribunali excesserit, *l. 5. §. fin. ff. h. t. l. 6. §. 1. l. 14. C. eod.* intra tamen  
illos decem dies *d. Nov. 32. c. 1. C. d. auth. hodie. Cam. Anteriorum. 25. c. 2.*  
*q. 6. cap. significaverunt. 36. vers. mandamus. x. de testib. O C. part. 2.*  
*tit. 29. §. 2.*

63. Et ita appellatur à definitivis, vel interlocutorijs vim definitivæ  
habentibus. Ab interlocutorijs autem simplicibus, gravamen irrepara-  
bile continentibus, appellatio saltem in scriptis fiat, sive in continenti,  
sive ex intervallo interponatur, inseraturq; gravaminis causa instru-  
mento appellationis, *c. 1. Extr. de appell. c. appellantis. Clemen. Eod.* In  
Camera tamen Imperiali ab ejusmodi interlocutorijs. appellationes  
in continenti vivâ voce factas admitti testantur *Gail. 1. Obs. 130. n. 4.*  
*Mynf. 3. Obs. 32.*

64. Libellus appellatorius, sive schedula appellationis, continere  
debet nomen appellantis, *l. 1. §. fin. ff. h. t. adversus quem,* & à qua  
senten-

sententiâ d. l. 1. §. ult. De jure Canonico etiam requiritur nomen ad quem. Et hoc modo concepta schedula unâ cum supplicatione judici à quo offerri debet, l. 6. §. pen. C. h. t. id quod die feriatâ etiam fieri potest, & extra judicium pro ut tales appellationes acceptas esse testatur *Mysf. 2. Obsf. 12.*

65. Quod si appellans judicis copiam habere nequeat, l. 1. §. 10. ff. *quand. app.* vel ipsius aditum ob violentiam horreat, l. 7. b. t. adeat judicem ad quem, d. l. 1. §. 10. vel etiam causas appellationum publicè proponat, l. 2. C. de hî qui propt. met. c. ult. x. h. t.

66. Si verò judex appellationem interpositam non susceperit, neque tanquam frivola, adjectâ legitimâ causâ, rejecerit, l. penult. ff. de app. recip. pænâ afficiendus, l. 21. l. 24. C. h. t. & appellatori permîssum, etiam post decendum, pro diversitate judicis, anni, vel sex, vel quatuor mensium intervallo, protestatione iniquæ à judice factæ recusationis propositâ, causas appellationum proponere, l. 31. C. h. t.

67. Hodie indistinctè coram Notario & testibus appellatio in scriptis facta etiam sine insinuatione, rectè perficitur, *Ord. Cam. part. 2. tit. 29. §. Item*, so soll etnem jedem. *Mysf. 4. Obsf. 44.* insinuationem tamen admodum utilem esse ad impediendam executionem, testatur *Mysf. d. l. ad quam alias Judex à quo impunè procedit. O. C. d. l.*

68. Decendum illud interponendæ appellationis est continuum, & currit, scienti tamen, à die latæ sententiæ, à momento ad momentum, l. 1. §. ult. *Quand. appell. l. 3. C. Quomod. & quand. jud. l. 4. C. de lib. caus. Nov. 23. c. 1. Wesenb. n. 3. ff. quand. app.* nec primus dies computatur totus, sed momentum & hora illius diei, qui ad decendum diem ejusdem horæ referri debet. Unde consultū est, ut Notarij in instrumento appellationis non solum diem, sed etiam horam diei, quâ appellatio facta, consignent, ad hoc, ut cognoscatur, an decendum effluxum. *Geil. 1. Obsf. 139. n. 5. Mysf. 2. Obsf. 2.* Appellans autem probare debet, se intra decendum appellasse.

69. De appellatione pluries factâ variant Dd. Nos per l. 28. C. de appel. arbitrio appellantis relinquendum esse, quam prosequi velit, statuitur cum *Bach. disp. ult. thes. 7. lit. f. & g. Vol. 2. & Mysf. 1. Obsf. 7.* qui ita in Camerâ conclusum affirmat.

70. Post appellationem interpositam, petendi veniunt Apostoli Abscheidbriefe. Illi sunt literæ dimissoriae, quibus causa à judice inferiori



riori ad superiorem remittitur, *l. 106. ff. V.S.* quorum sensus talis est: Lucium Titium à sententiâ illius, quæ inter illos dicta est, appellasse, *l. un. ff. de lib. dimis.* Qui respectu vario, varia sortiuntur nomina: alij enim sunt conventionales, alij reverentiales, alij testimoniales, alij dimissorii, alij refutatorii, quorum definitiones & formulæ peti possunt ex *Termin. cap. 230.*

71. Tempus autem, intra quod Apostoli petendi, sunt triginta dies, & nisi intra illud tempus instanter, & sæpius petantur, appellatio censetur deserta, *l. un. §. 2. ff. de lib. dim. l. 18. l. 24. C. h. t. c. Quamvis. 2. Clemen. de Appel.* Quod si Judex Apostolos dare recusaverit, & appellans id ipsum contestatus sit, appellanti, quo minus acceperit, nihil nocet, *l. un. §. fin. ff. de libell. dimis. d. c. Quamvis. 2. in fin. Clemen. h. t.* Judex autem omne damnum, quod per causam non editorum actorum ac Apostolorum litigator sustinuerit, ex proprijs facultatibus resarcire tenetur, & in pœnam denarum librarum auri insuper condemnatur, *Nov. 126. c. 3.*

72. Ex Ord. Cam. Imper. petitio Apostolorum non est necessaria, sed impunè omitti potest, & editio actorum vicem Apostolorum supplet, *O. C. part. 2. tit. 30. pr. ibi: soll einem jeden Appellanten frey stehen nach geschaner Appellation Apostolos zu bitten/oder nicht. O. C. part. 2. tit. 31. pr. Myns. 4. Obs. 36. Gail. 1. Obs. 139.*

73. Appellatio legitime conceptâ, petitisq; Apostolis, introducenda est intra certum tempus ad superiorem. Hoc tempus est, vel legis, vel hominis. *Ampl. Dn. Matth. Steph. Oecon. lib. 4. cap. 28. n. 15. Gail. 1. Obs. 140. n. 2.*

74. Tempus legis, de jure Civili, pro diversitate causarum, qualitate judicium, distantiaq; locorum variatur, *l. 1. l. 2. C. l. 5. pr. C. de temp. app.* Ex Ord. Camerae sunt sex menses, intra quos citatio & reliqui appellationum processus, puta compulsoriales, & inhibitio à Camerae Imperialis Senatu parti insinuari, & reproduci debent; aliàs enim, nisi ob locorum distantiam, vel etiam ignorantiam tempus hoc prolongetur, appellatio deserta habetur, & sententia, quemadmodum in præcedentibus fatalibus, transit in rem judicatam, *Ord. Cam. part. 2. tit. 30. §. würde aber. 2. & §. vnd so. 5. Myns. 1. Obs. 31. Gail. 1. Obs. 140. n. 3.*

75. In causis spoliij contra principem intra trimestre spatium introducenda venit appellatio. *Ord. Cam. part. 2. tit. 8. §. Wo aber der beflagte Ehurfürst.*

76. De jure provinciali Megapolensi terminus sex septimanarum introducendæ appellationi est præfixus, *Hoffgerichts Ord. part. 2. tit. 37.* S. Vnd soll der Appellant seine Appellation innerhalb sechs Wochen introduciren vnd anhengig machen.

77. In Pomerania, in Ordinatione Provincialis judicij spatium trium mensium constitutum, *Hoffgerichts Ord. tit. von appellation. §. 6.* alle appellation sachen sollen innerhalb 3. Monat / quod etiam arbitrio judicis ad quem prorogari potest, *c. ex ratione. §. c. cum sit Romana. §. x. h. t. Dn. Matth. Steph. Oecon. lib. 4. cap. 28. n. 16.* Hoc tamen ita accipiendum, dummodò ista prorogatio petatur intra fatalia: quia post lapsum fatalium non potest fieri prorogatio, sed opus est restitutionis extraordinario remedio, *Myns. 3. obs. 54. Gail. 1. obs. 140. n. 7. jun. Ord. Cam. d. tit. 30. §. würde aber in fin.*

78. Quid verò, si fatalia in feriatis dies inciderint, num & hi computandi, vel excipiendi erunt? de jure civili connumerandos esse, & pro desertione concludendum omninò videtur, *per l. 1. C. de ferijs. l. 3. C. de dilat. l. 2. cir. fin. vers. illud etiam C. de temp. app. contrariam tamen sententiam, ut benigniorem, assessores cameræ Imperialis sequuntur, Geil. 1. obs. 140. n. 5. Reces. imp. de anno 1570. S. ob wol auch.*

79. Tempus hominis est, cum iudex à quo appellatur, appellanti certum introducendæ appellationis tempus definit, intra quod appellationem suam introducat, *Gail. d. obs. 140. n. 2. lib. 1. vid. Ord. Cam. par. 2. tit. 30. §. 1.* Utrumq; tempus, legis, & hominis, eundem habet effectum, & utriusq; terminus, non à tempore sententiæ latae, sed à tempore appellationis interpositæ computatur, *Ord. Cam. part. 2. d. tit. 30. pr. ibi. von der zeit der interponirten appellation. Pommerische Hoffrichts Ord. tit. von app. §. 6. ibi von zeit der interponirten appellation anzurechnen. Matth. Step. Oecon. lib. 4. cap. 28. n. 17.*

80. Venit ultimò tempus prosequendæ appellationis: illud ex jure communi est annus, ex justâ causâ biennium, *Auth. ei qui. C. de temp. & rep. app. l. vit. §. 4. C. eod. Nov. 49. pr. & cap. 1. & nisi intra prædictum tempus appellationis prosequutio facta fuerit, tanquam deserta moritur, & exstinguitur.*

81. Hoc tamen finiendæ, sive prosequendæ appellationis fatale in Camerâ Imperiali non observatur, sed tantùm tempora interponendæ, & introducendæ appellationis diligenter attenduntur, *Gail. 1. obs. 141. n. 7. Myns. 2. obs. 48.*

82. In

82. In causa appellationis idem ferè modus procedendi, qualis in primâ instantiâ observatur. *Herm. Vultb. de J. R. lib. 2. cap. 33.* Quia verò forma, & modus procedendi in secunda instantia jure civili expressus non est, variæ disputationes hinc inde apud D d. exortæ.

83. Quarum una est hæc: An in causis appellationum requiratur litis contestatio? Dicendum videtur, sufficere quod in prima instantia lis sit contestata, idq; ideo, quia effectus illius ad causam appellationis porrigitur, & extenditur, nec per eam extinguitur, aut suspenditur. Nam diversa licet instantia sit, eadem tamen causa est. Verùm si stylum judiciorum attendamus, regulariter in omnibus causis appellationum litis contestatio est necessaria, nec sufficit semel illam fuisse factam, & ita in Camerâ Imperiali hodiè observatur, *Ord. Cam. part. 3 tit. 32. §. wo aber der appellat & §. vnd sollen solche Krieges besfestigung &c. Gail. 1. obs. 76. n. 2. Myns. 1. obs. 1. n. 6.*

84. Idem etiam sequitur ordinatio provincialis Pomeraniæ, *tit. von Appellation sachen / die von dem vntergericht. §. 3. der appellat dagegen alle seine exceptiones dilatorias zu geleich mit der Litæ contestation, & tit. von besfestigung des Krieges. Nec non Mecklenburgische Land: vnd Hoffg. Ord. part. 2. tit. 37 §. inmassen / vers: so soll der Appellant litem contestiren.*

85. Statuto etiam sæpè cavetur, ne sine cautione appelletur. Ita Ord. Prov. Pome disponit, non aliter valere appellationem, nisi prius cautio præstetur de restituendis expensis ab appellante, si eum succumbere contingat, *tit. von Appell. §. ult. ibi: daß er auch alsobald dem Appellanten Caution vnnnd Sicherheit.* Idem hîc in Megapoli observatur, *Mecklenb. Land: vnd Hoffg. Ord. part. 2. tit. 37. §. ausserhalb. pen. ibi: vnd daneben genugsame caution vnd Versicherung / &c.* Si tamen cautio hæc à parte non petatur, ejus omissio non vitiat appellationem, *Myns. 1. Obs. 6. n. 2. ubi in Camerâ ita decisum refert.*

86. Huic cognata est quæstio, An etiam in secunda instantia præstatio juramenti calumniæ necessaria sit? Et sanè quemadmodum in Camera, *Ord. Cam. part. 2. tit. 32. §. vnd soll alsobald. ut & in multis locis Germ anix, ita etiam ex constitutione provinciali Megapolensi laudabiliter observatur, quod appellationes ad tribunal Spirense non admittantur, nisi appellantes jurent, se non temerè ad differendum malitiosè negotium appellare, part. 2. tit. 37. §. pen. ibi: vnd das Juramentum*  
appella-

appellationi wirtlich ablegen. Idem statuit Constitutio provincialis Pomeraniae. tit. von Appel. S. 8. *ibi*: gelobe vnd schwere / daß er gänzlich gleube vnd dafür halte/daß ihm appellirens nörtig sey/ vnd daß er solche appellation nicht freventlich/&c.

87. Sicuti etiam appellantes in Camerâ, quando fidejussoribus vel pignoribus cavere non possunt, ad juratoriam cautionem admittuntur, *Myns. 3. Obs. 56.* Ita etiam Const. Provincialis Pomeraniae illam isto casu admittit, *d. loc. S. ibi*: vnd mit dem Eyde sicherung zu thun.

88. Finis appellationis est, ut sententia iniquè lata in melius reformetur, æqua verò confirmetur, *l. 1. in pr. ff. h. t.* Effectus appellationis varij sunt. 1. constringitur per eam manus judicis inferioris, & sententiae executio suspenditur, *l. 3. C. h. t. l. 1. S. fin. ff. ad S. C. Turpill. c. veniente. 19. x. d. jurejur* donec sententia inferioris judicis à superiore vel confirmetur, vel rescindatur.

89. Deinde pendente appellatione nihil innovandum, & si quid innovatum, attentatumvé fuerit, ante omnia officio judicis, ad quem provocatum est, revocatur, ac rescinditur, *l. 1. ff. nihil innov. Nov. 134. c. 3. in fin. c. significantibus. 49. c. Bona memoria. si. x. h. t. c. nou solum. 7. in 6. eod.* adè ut appellans attentata passus non compellatur inuitus in causa principali procedere, nisi rescissis attentatis, & solutis attentatorum expensis, uti per judices Camerales decretum refert *Myns. 1. Obs. 26.* Hinc solet in Camera inhibitiò unà cum citaione decerni, si sit appellatum à definitiva, seu interlocutoria vim definitivæ habente, *Gail. 1. Obs. 144. in pr.* adde tamen *Obser. seq. 145.* secus est in appellatione ab interlocutoria simplici, appellabili tamen, *Reg. Imp. de Anno 1594. S. wann aber. Gail. dict. Obs. 144. n. 4.*

90. Reducitur etiam causa per appellationem ad litis contestatae tempus, propterea novi quoq; articuli, & assertiones proponi possunt, *l. 4. C. de temp. app. l. 39. S. 1. C. h. t. Ord. Cam. part. 3. tit. 33. S. im Fall aber. 6. 5.* vnd soll in solchen Sachen. Modò non ad novum capitulum pertineant, sed ex illis oriuntur & conjunctæ sint, quæ apud anteriorem judicem fuerunt propositæ, *d. l. 4.*

91. Tandem, ne quis bonâ re malè utatur, & per calumniam judicia fatigentur, citra gravamen probabile provocans, pro qualitate circumstantiarum, vel in pœnam 50. librarum auri, *l. 5. ver. sciant. Quor. app. non recip. l. 2. c. de Episc. aud. vel amissionis causâ,* cum exultimatio-

216

nis jactura, condemnatur, *l. 19. C. h. t.* vel deniq; mediocriter arbitrio competentis judicis punitur *l. 6. §. 4. C. h. t.*

92. De jure canonico temerarius provocator in expensas condemnatur, *c. reprehensibilis. 26. x. h. t. c. i. de election. in 6. Ex Ord. Cam.* non tantum in expensas, sed insuper pro qualitate causæ, & personarum in pænam legitimam condemnatur, *O. C. part. 2. tit. 28. §. 3 darju. Geil. 1. obs. 152. n. 7. & seq.*

93. An etiam Appellatus, si in secunda instantia succumbat, in expensas condemnari debeat, quæri solet: *Gail. lib. 1. obs. 152. n. 5.* dicit, quod in Camera communiter succumbente appellato, fiat compensatio expensarum: quia regulariter appellatus justam causam litigandi habere præsumitur, cum sententiâ pro se habeat, & ab appellante citatus compare, seq; defendere teneatur, additq; *Gail. d. l.* se non meminisse in Camera aliter fuisse observatum, *Mynsing.* contrarium Camerae stylum refert, *2. obs. 89.* & dicit procedere Gailij sententiam, si ex novis probationibus, & actitatis appellatus succumbat, secus si ex iisdem, seu prioribus actis succumbat: tunc enim in expensas eum condemnari, cui assentimus cum *Dn. Gotbm. vol. 2. conf. 60. n. 51. & seqq.*

94. Etsi autem judex ad quem, quando appellatus succumbit, ita communiter pronunciare solet, bene appellatum, male judicatum; tamen, quia sæpius appellans in secunda instantia rem clarius deducit, aut non probata probat, ideo solet judex vel maxime consulere honori prioris judicis omittendo clausulam, *vbel gevrreitet/wol davon appelliret;* sicut communiter practica & stylus magnorum dicasteriorum id docet. *Per. Wes. conf. 36. in fin.* Subsistimus dicentes:

DEO SIT LAUS, HONOR, ET GLORIA  
in infinita, & immortalis.





*Præstantissimo & Literatissimo*  
Dn. JOHANNI WEGENERO,  
pro summis in Jurisprudentia honoribus  
impetrandis disputaturo.

**E**N Themis alma tibi nectit WEGNERE  
corollas  
Aprandas capiti, doctorū præmia frondes  
Porrigit. accepta Musarum dona. Citheris  
Mox sua conjunget. Felix quem turba Dearum  
Deperit, & donis certat mactare opulentis.

JOHANNES QUISTORPHIUS  
D. & Th. Facult. Senior.



Ad præstantissimum & doctissimum  
Dn. CANDIDATUM.

**N**on sine laude doces, cur Appellatio Juris  
Portio, præsidium, sitq; medela sacri  
Ritè statuta illis, quibus est sententia dicta,  
Expugnans Legem, Justitiæq; modum.

HEINRICH Schuckmann/J.U.D.  
& Codicis in Academia Rosto-  
chiensi Professor ordinarius.


AD

AD Dn. CANDIDATUM  
Pro summo in utroq; jure obtinendo  
gradu de APPELLATIONIBUS  
disputantem.

**D**OCTORIS, WEGNERE, tibi appellatio ut adsit,  
Suscipis haut alio nomine materiem.  
Provocat Appellans de jure; at spontè manebis,  
Quo te sancta Dice ponet, Amice, loco.

*scrib.*

Præses.



**M**Endicare licet, licet appellare, modò ad sit  
Et modus in rebus certaq; meta suis:

**Tu** veri rectiq; cliens lance omnia doctâ  
Dum trutinas, plaudit fama decusq; tibi,

*Affini suo dilecto faciebat*

MICHAEL NEUCRANTZ D.









appellationū w̄reclich ablegen. Idem statuit  
merania. tit. von Appel. s. 8. ibi: gelobe vnd  
gleube vnd daf̄ur halte/daf̄ ihm appellirens  
appellation nicht freventlich/&c.

87. Sicuti etiam appellantes in Camera  
pignoribus cavere non possunt, ad juratoria  
Myns. 3. Obs. 56. Ita etiam Const. Provinci  
casu admittit, d. loc. s. ibi: vnd mit dem Eyd


88. Finis appellationis est, ut sententia in  
metur, æqua verò confirmetur, l. 1. in pr. ff. b  
varij sunt. 1. constringitur per eam manus ju  
tiæ executio suspenditur, l. 3. C. h. t. l. 2. s. fi  
niente. 19. x. d. jurejur donec sententia inferi  
confirmetur, vel rescindatur.

89. Deinde pendente appellatione nihi  
innovatum, attentatum vé fuerit, ante omni  
provocatum est, revocatur, ac rescinditur, l.  
3. in fin. c. significansibus. 49. c. Bona memoria.  
ead. ad eò ut appellans attentata passus non co  
principali procedere, nisi rescissis attentatis,  
pensis, uti per iudices Camerales decretum re  
solet in Camera inhibitiò unà cum citaione  
definitiva, seu interlocutoria vim definitiva  
in pr. adde tamen Obser. seq. 145. secus est in  
cutoria simplici, appellabili tamen, Reg. Im  
aber. Gail. dict. Obs. 144. n. 4.

90. Reducitur etiam causa per appellat  
tempus, propterea novi quoq; articuli, & aff  
l. 4. C. de temp. app. l. 39. s. 1. C. h. s. Ord. Ca  
aber. 6. s. vnd soll in solchen Sachen. Modò  
pertineant, sed ex illis oriantur & conjuncta  
rem iudicem fuerunt proposita, d. l. 4.

91. Tandem, ne quis bonã rem malè utatur  
fatigentur, citra gravamen probabile provoc  
stantiarum, vel in pœnam 50. librarum auri,  
non recip. l. 2. c. de Episc. aud. vel amissioni

the scale towards document



provincialis Po  
er gänglich  
daf̄er solche

ffloribus vel  
dmittuntur,  
e illam isto  
hun.

elius refor  
pellationis  
, & senten  
urpill. c. ve  
periore vel

, & si quid  
ad quem  
Nov. 134. c.

lum. 7. in 6.  
tus in causa  
atorum ex

bs. 26. Hinc  
pellatum à  
1. Obs. 144.

ab interlo  
4. S. wann

contestata  
ni possunt,  
3. S. im Fall

capitulum  
ud anterio

iam iudicia  
ate circum  
Quor. app.  
ultimatio

mis-